

**Dissertatio de emeticis antimonialibus ... / Publico, placidoque eruditorum examini submittit Gustav. Adolph. Siricius.**

**Contributors**

Siricius, Gustav Adolph.

**Publication/Creation**

Rostochii : Typis Joh. Wepplingii, Acad. Typogr, [1713]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qpcfswmq>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO  
DE  
EMETICIS AN-  
TIMONIALIBUS,

*QVAM*  
DIVINA ASSISTENTE GRATIA,  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ  
CONSENSU

IN ILLUSTRIS VARNIACA ACADEMIA  
PRÆSIDE

DN. JOH. ERNESTO  
SCHAPERO.

MEDICINÆ DOCTORE ET PROFESSORE PUBLI.  
CO, p.t. DECANO,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC EVER-  
GETA SUO OMNI OBSERVANTIÆ ET HONO-  
RIS CULTU PERPETIM DEVE-  
NERANDO,

AD DIEM XXIX. MARTII, MDCCXIII.

IN AUDITORIO MAJORI,


Publico, placidoqve eruditorum examini

submittit.

A. & R.

**GUSTAV·ADOLPH·SIRICIUS,**

GUSTROV. MEGAPOLIT.



ROSTOCHII, TYPIS JOH. WEPPLINGII, Acad. Typogr.



DISSERTATIO

DE

EMETICIS  
TIMONIALIBUS

QUAM

DIVINA ASSISTENTE GRATIA

GRATIOSISSIMAE FACULTATIS MEDICAE

CONSENSU

IN ILLUSTRI VARNIAE ACADEMIA

PER ESSE

DR. JOH. ERNESTO

SCHAEFERO.

MEDICINAE DOCTORE ET PROFESSORE PUBL.

COE. P. P. REGANO.

PATRONO, PRÆCEPTORE AC EVER-

GETA SUO OMNI OBSERVANTIE ET HONORIS

RIS GUYU PERPETUUM DEVS

VERA ANDO.

AD DIGN. K. K. M. A. V. L. M. D. C. C. C. C.

IN AUDITORIO MAJORI.

Publico, placide et eruditione examini

liberum

et

GUSTAV. ADOLPH. SIRIGIUS.

GUSTAV. ADOLPH. SIRIGIUS.

ROSTOCKI, LXXV. JOH. WILHELM. SCHAEFER.



*Nobiliss. Dn. Auctori & Respondenti.*

**S**IRICI, magni loboles præclara Parentis,  
Quique pari nomen sedulitate paras;  
Primitias dum propositi nunc edis honesti,  
Quidque in Pœoniâ noveris arte, doces;  
Gratulor; inde ægris à Te solatia mille  
Atq; Tibi abs illis commoda mille precor.

*f. gr.*  
**JO. FECHT**, D. P. P. Conf. Adf.,  
& Circ. Rost. Superint.

---

**S** Tibium an varios nobis suppeditet usus,  
Id doctè doctâ chymicus arte docet;  
Promovet id vomitus, nec non diaphoresin  
auget,  
Prout diversâ conficit arte labor.  
Differis edoctè, SIRICI, stibii vires,  
Illas dum tradis, quæ ratione vomant.  
Ardua sectaris tentas molimina docta,  
Doctis dum sistis quæ ratione probas,  
Primitias doctis doctas sistis studiorum  
Et satis ostendis quæ Tibi convenient.  
Cor-



Corditus hinc grator, Tibi dico prospera quæ-  
Adspirent rebus fata benigna tuis. (vis,

*Hiscæ*

*Nobilissimo DNO. AUCTORI  
Amico & Auditori suo charissimo  
applaudit*

## PRÆSES.

**D**um causas quæris, Fautor, Plumbaginis,  
eheu !

Te Sobolem gratum sistis Apollineum.  
Scilicet intrepidus Doctorū Pulpita scandis;  
Quomodo quisque vomat, docta pagella  
docet.


Eximium factum ! facto gaudebis honesto;  
Quando Tibi dotē, Divus Apollo refert.  
Gratulor ergo Tibi tantum quod nactus ho-  
norem

**Ac nunc ex animo prospera quæq; precor.**

*Ita Nobiliss. ac Præstantiss. Dn. Autori, Fautori atq; Amico  
inter paucos alios facile primo affectum amplissimum  
conferaturus paucis applaudebat*

**JAC. BARTHOLOMÆI,**

Med. Studios,







## PROOEMIUM.



T mentis, sic corporis quoque nostri servandam sanitatis rationem esse saniores in Medicina Philosophi suadent, dum hac læsa & animum laborare maleque dispositum ex lege conjunctionis docent; Hinc quoque ab iis, quos modo solaspexit, Machaoniæ artilitantibus nihil tentaminis unquam relictum, quo rectâ viâ sanitati declinanti consiliis juxta & medicaminibus obviam ire possent. Et

hæc satis, ut apparet, ad oculum probare variorum Medicorum varia de sanitate ut conservandâ sic restituendâ scripta videntur, quæ & religio nobis sint, & tantum abest, ut tralatitiâ verborum volubilitate referta dicamus, quin potius ex omnibus tribus Chymicorum regnis Vegetabili, Animali, Minerali ad illam conservandam utilissima dare nobis præcepta firmissimum sit, quod affirmemus. Etenim quorundam indefessum imò ferreum in hujus seu illius rei investigandâ naturâ studium quis non miratur? dum vitæ propriæ prodigi terras, & quod magis est, ipsius terræ centrum adire parati adsint, modo hæc, quæ pulcherrima naturæ manus tanquam thesauros pretiosissimos sub his recondidit, in hominis nobilissimæ Dei creaturæ salutem adinveniant. Et ex hisce terræ quoq; visceribus improbus illorum labor ceu promiscundis mineralium præstantissimum illud, & ob singularem virtutem, quam perspexere sagaciores, in usum medicum  
A  
adhibi-



adhibitum Antimonium detexit, ex quo quam magna sit medicamentorum præparatorum farrago, cuilibet Chymicorum foetus scrutanti patet. Cum ergò speciminis loco Academici partum meditarer, placuit Emetica seu vomitoria Antimonialia ad ventilandum seligere, quæ quamvis ardua satis, minimeque aliquid publici saporis hæc mea sapiat dissertatio, ad vires tantum ingenii respiciens, conatui tamen, si non materiæ faveas Lector, est quod humanissimè rogo, haud immemor simul illius proverbii: In magnis & voluisse sat est.

Theſ. I.



Vam Ephemerides Gal-

licæ de Antimonio nobis suppeditant Etymologiam, dum illud quasi ante Monachum dici contendunt, ex infelici tamen plane successu, vid. Ephemeris. XXIII. Ann. 1666. eam B. Hoffmannus in clav. pharmaceut: Schröderiana

ἀπὸ τῆς ἀντι κῆμ μόνου, η, εν, eo quod

ipſi adverſetur ſolum & ſine aliorum conſortio inveniri, ſed quod omnibus quaſi adjaceat metallis, derivare conatur. Hoc Antimonium Græcis *σίμμι* latinis ſtibi-  
bium vocatur. Per ignem Philoſophi variis inſignire ſolent nominibus, Alchymiſtæ termino barbarorum obſcuro per Alcoſol Stibium ſ. Antimonium intelligunt, vid. Kircher. Mund. ſubterræn. Tom 2. libr. 9. p. 342. Baſilio cum ſæpe punctulis rubris, tum flavis, aliisque ſtriis conſpiciatur, variorum colorum dicitur minerale in Curr. ſuo Triumph. Antim. p. 101. Aliis plumbago, Saturni minera, quatenus ab iis pro ea habetur, teſte Barnero philoſ. chymic. p. 59. Inter Mauritanos & adhuc hodie nomen Antimonii obtinet, prout Rogerus Baco de tinct. Antimon. p. 273. refert Germanicè

Spieß



Spieß-Glas / aut ut alii rectius volunt ob strias copiose splendentes Spieß-Glas vocari solet, teste eodem Autore.

## Thesis. II.

Varia hoc Antimonium sustinuit fata, ut & in Concilio Parisiensi Anno 1566. veluti periculosum, damnosum, imò venenum proclamatum fuerit, illudque censurâ veneni confirmatum, prout hæc in Ephemerid: Gall. Ephemerid. XXIII. p. 267. legi possunt. Non multum ab hac opinione abludit Helmontius, dum inquit: *Quem enim mortalium non inficiunt carborum suffitus? aquarum fortium, gradantium, & arsenicalium, itemq; antimonialium nova indies examinatio? quæ per longa annorum tedia experiundi, nondum experti haurimus, de malignitate illorum non nisi per experientiam seram admoniti vid.* Helmontius de arcan. Paracelsi pag. 628. Sed non obstantibus variis de antimonio judiciis, nec obstante sententiæ prioris confirmatione, mutata sententia, post varias (sit venia verbo) clades maxime utile declaratum medicamentum Anno 1650. nobilius resurgebat Parisiis Antimonium. vid. Ephem. Gall. Ephemeris. XXIII. pag. 268. Id quod Zachias etiam in quæstion. Medico Legal: Tom. III. conf: XIII. pag. 22. sequentibus verbis affirmat' inqviens: *Antimonium omni venenositate caret, neq; occulta neq; manifesta qualitate noxium est. &c.* A rejectione hinc vindicatum hoc Antimonium nobilissimum à Chymicis habetur.

## Thesis. III.

Industrios maxime reddidit hujus mineralis præstantia per ignem Philosophos, dum per ejus examen Antimonii vires perspectas habere fuerint conati, adeo, ut, an Chymicos Antimonium varie contorsisse, an verò



Antimonium Chymicos varie exercuisse, verius dixerim? dubius & anceps hæream. Quid tibi L. B. arridebit, cum utrumque valere possit, id etiam valebit. Theophrastus Paracelsus oper. Volum. 2. libr. IV. de natur. aquar. pag. 364. ultra decem dulcedines Antimonio tribuit & libr. III. Cap. 6. de vita longa, inquit: *non quisquam sycyrica artis peritus, deprehendere potis est vim atq; adeo virtutem antimonii*; Id quod etiam libr. V. de vita longâ pag. 73. repetit. Industriâ Chymicorum tamen constat, quod Antimonium *αἰὲρ ἐξοχνῶ* minerale vocari mereatur, præter metallicas particulas varia sulphura in se continens, teste Barnero Philosoph. Chym. p. 415. Quercetanus in sua pharmacop. p. 673. Antimonio, excellentiam hujus mineralis indicando, sexcentas attribuit proprietates; à quo parum abludit Etmüllerus in pyrotechn. rational. libr. 1. sect. 3. cap. 2. pag. 53. describit enim Antimonium, *quod sit subiectum minerale, natura metallica finitimum, compositum secundum corporum metallicorum synthesein, ex copioso admodum sulphure, eoque minerali, hinc ex Saturno copioso metallico, denique ex substantia terreâ alkalina.*

#### Thesis. IV.

Sulphur & metallicas s. ut alii volunt mercuriales particulas Antimonio inesse, certo certius est, idque à primo, ut ajunt, intuitu, ex variè coloratis punctis striisque copiosè splendentibus patere potest, nec sulphuris copia, cœruleus calcinando dum prodit fumus, latet, & mercuriales particulae in regulum dum fluit antimonium, conspicuae sunt, adde quod Tachenius cum aquâ regis præparet sulphur, vid. Hippocrates Chymic. p. 206. B. Boyleus in chymist. Sceptic. part 1. pag. 60. cum spiritu vitrioli sulphur antimonii inflammabile ex  
anti,



antimonio parat & cum Spiritū nitri æquali parte antimonium brevi tempore digestum & sublimatum in notabilem combustibilis sulphuris copiam prodiisse notat. Ad quam autem naturam accedat sulphur determinare jam instituti non fert ratio; Alii experimento ducti, quod aurum splendore suo orbatum per antimonium fusionē splendorem recuperet, suffragante arte *δυναμικῶς*, ad sulphuris auri naturam accedere volunt, eamque opinionem fovere videtur Paracelsus, hinc inquit: *Stibium aurum tantum & hominem ad summum usque puritatis gradum evehit*, vid. Theophrast. Paracels. part. 2. Chirurg. Magn. Tract. 3. pag. 67. Aliis hoc experimentum insufficiens cum iis videatur, hæc non placent, dum absorbendo heterogeneous auri particulas antimonio id fieri putant, adeo, ut adhuc, ut ajunt, de sulphuris natura sub iudice lis sit; hoc ad minimum certum, quod sulphur antimonii nobilius sit & elegantius sulphure communi, in primis, si quis ad operationes ejus attenderit; nec is facile errabit, qui cum auro ceterisque metallis easdem pronunciet antimonio natales, non quod aurum aliæque metalla cum eo occurrant inspersa, sed quod ex vulgo putatis chymicorum principiis, Sale, Sulphure, & Mercurio, conflatum sit, vid. Cassius. de auro. pag. 68.

#### Thesis. V.

Variis eruitur in regionibus antimonium, dum Germania illud præbet, dum idem suppeditat Hungaria, quod prior ubertate, id posterior puritate communicat. Transilvanum puriori sulphure dotatum maximè laudatur; cum auri minerā nonnunquam effoditur striisque splendidioribus & longioribus obscuram rubedinem de se spargit, aut si mavis rubicundis multis



fertum particulis, (quæ bonitatem ejus arguunt, ob sulphuris abundantiam) reperitur. vid. Schröder. pharmacop. chym. libr. III. cap. 17. p. 413. Hujus etiam meminit Paracelsus sub titulo rubentis Leonis & Basilio Valentino hoc antimonium sub orientalis nomine venit, in Curr. Triumph. Antimon. pag. 31. Illud est, quod præstantissimorum medicamentorum habetur fons & scaturigo, quodque maxime ad medicamentorum præparationes requiritur.

### Thesis VI.

De utendi modo controvertunt Medici. Etmüllerus in Schröder. dilucid. p. 55. antimonium crude rejicit inutile, cui tamen Hoffmannus in clav. pharm. Schröd. pag. 295. tum propria, tum aliorum, in primis Zwelferi, Knoeffelii experientia fundatus contradicens eo ut alii in decocto utitur. vid. thesaur. Hoffmanni pharm. pag. 50. Sed nec per vomitum, nec per alvum operatur. vid. Etmüller. pyrotechn. rational. libr. I. sect. 3. pag. 54. cui etiam suffragatur Willis in pharmac. ration. sect. IV. cap. 4. pag. 37. id quod etiam observatione Ephemerid. Germ. nat. Cur. Dec. 2. Ann. 8. pag. 31. confirmatur, ubi quartanâ laborans filia antimonii crudi decocto curata, inde tamen nec vomitum passa, nec secessum. Idem in Ephemerid. Germ. nat. Cur. Dec. 2. Ann. 2. pag. 360. legi potest. Cum inter venena olim numeratum esset antimonium, notante Schenkio, observ. pag. 964. forte L. B. miraberis, qui fiat, quod neque per vomitum, neque per secessum operetur, sed mirari facile defines, ad id si attenderis, quod levi coctione particulæ sulphureo salinæ, à quibus virtus Emerica procedit, aliis obvolutæ exsolvere sese nequeant, modo non acidum in decoctione admistum fuerit, nec liquores, quibus vel decoqui-



coquitur, vel infunditur antimonium, satis aciduli sint; teste Ludovico pharm. dissert. 1. pag. 161. Si hæc miraberis, non deficiet, si in substantia sine vomitu antimonium assumi dixerim, notante eodem cit. aut. pag. 162. ubi ab aliquo non ut emeticum, sed ut antepilepticum specificum ad grana 2. vel 3. cum aliis epilepticis præcipitantibus commendatum est antimonium crudum. Sed scias velim, dum in alcohol redigitur, texturæ superficiem immutatam partim, partim dum morfui ex eo parantur, oleosis & viscidis esse involutum, in iis que fatiscere, hincque nullam ventriculi convulsionem supervenire. In oleosis enim salia quam maximè activa etiam fatiscere, tum fames sic dicta canina iis languescens, tum cum vernice & aquâ forti instituta ars sculptoria satis evincunt.

#### Thefis. VII.

Ad effectum attendentibus aliis, quod vomitum moveat antimonium, dicitur Emeticum vid. Ephemerid. Gall. Ephemeris XXII. Ann. 1666. pag. 267. et ea ratione nostræ considerationis est. Contradictionem hæc quidem videntur involvere, sed à contradictione tum rationes ejus, tum instituta per ignem examina id vindicant. Emeticum itaque etiam est atque ita vocatur, quando ore assumptum & ventriculo amandatum vellicando eum convellit, quam convulsionem cum contentorum sequatur ejectio, oritur id, quod vomitum vocamus. Sed in prioribus vomitum non ciere antimonium dixi, jam autem Emeticum audit, hinc aut alia præparatio, aut alius requiritur usus. Si Chymicorum scrutinia perlustremus, utrumque obtinebit; quanta antimonii Emetici præparationum chymicarum sit farra-  
go, id calcinando, sublimando, fundendo, & infunden-  
do



do, ut & præcipitando elucescit; omnia tamen hæc præparata eo collimant, ut sulphureo-salinæ Antimonii particulae, alias ligatae, jam extolutæ & assumptæ, vellicando ventriculum, efficiant vomitum. Id quod aliquâ ex parte LEMERY in curs. suo chymic. pag. 254. de artimonio expressis verbis indicat; *Et si nihil aliud, inquit, in Anatome antimonii deprehendatur, quàm substantia metallica, sulphuri permixta; nihilominus ad figuram ejus similem figuræ nitri. Et ad ejus effectum, vomitum sc. qui non aliunde provenit, quàm à quadam ventriculi vellicatione, rectè statuetur; in eo sal acidum contineri sed cum hujus salis cuspides implicatae sint nimia sulphuris copiâ; agere nequit, nisi ipsi aperiatur iter in salibus quæ hoc sulphur dispergant, vel calcinatione. &c. &c.* Calcinari hinc solet Antimonium ut nimis copiosum sulphur partim in auras abeat, partim ut per ignem fusione resuscitentur subtiliores ac pauciores particulae sulphureo-salinæ, id quod in vitro antimonii obtinet, cum sine ullâ alterius, aut Borracis aut nitri additione calcinatum antimonium vi ignis in diaphanam substantiam fluit, teste Margraff. in Collect. Chymic. Leidenf. p. 50. & LEMERY curs. chym. p. 270. aliisque. Sal Gemmæ alii, alii borracem fundendo antimonio addunt, cum calcinationem accelerari partim, partim pelluciditatem promoveri iis autument. Variè sic paratum vitrum pro varia mutata additione jam rubeum exsurgit, jam succineum.

### Thesis. VIII.

Subtilior corporis alicujus sublimata pars inter chymicos floris nomen obtinet; id nec antimonio negatum, quippe si retortæ terreæ à parte postica tubulatae & ignis violentiæ expositæ antimonium alternis vicibus cochleari in jiciatur, ab aere ope follis per foramen intruso subtilior



tilior ejus pars appofiti magnitudine non parvâ recipi-  
entis lateribus adhæret & ratione subtilitatis flos anti-  
monii vocatur. Compendiofa hæc eft præparatio & fa-  
cili negotio parantur flores fine magno temporis dispen-  
dio; fed ad temporis difpendium non attendentes alii, an-  
timonium in Alkohol redactum ollis artificiofè in-  
cumbentibus indunt & ignis vi fublimant flores, teſte  
Begnin. in tyrocin. chymic. cap. XVIII. pag. 323. Non  
multum abludit ab iſto fublimandi modo Philippus Grä-  
lingius in florileg. chymic. de vomitor. pag. 69. *Flores  
antimonii inquit, ita parantur: Antimonium vel regulus an-  
timonii ponatur in ſublimatorium terreum, quod in arena ponat-  
ur uſque ad alembicum & accenſo igne aſcendunt flores.* Non-  
nulli ut & ego pro uno alembico utuntur tribus ollis ſibi  
mutuò accommodatis, cum iis & LEMERY curſ. chym.  
pag. 286. convenit. Willis ex antimonio crudo in cucur-  
bitâ cum alembico, aut in vaſis terreis in hoc opus adap-  
tatis, moderato igne per ſe fublimari poſſe flores pharm.  
rational. ſect. VI. c. 4. pag. 38. docet. Crollius in Basilica  
chymic p. 132. beneficio retortæ dum antimonium arenæ  
puræ admixtum violentiâ ignis fublimatur, in flores  
redigi poſſe tradit, hoc adhuc ſuperaddit, ſine omni ca-  
pite mortuo fieri id poſſe vid. cit. loc. & quæ aliæ ab aliis  
adhibentur præparationes, de quibus Hartman: in ty-  
rocin. chym. Begnin. inque Croll. Basil. chym. aliique  
videri poſſunt. Varius etſi præparandi eos ſit modus,  
eo tamen collimant omnes, ut ſubtilior antimoni pars,  
quæ in ſulphureo-fale eſt, fublimetur; Sublimatio-  
nem hujus non parum adjuvare ratus eſt Crollius, ſi ſci-  
licet addatur arena, aut ut Willis pharm. rational. pag.  
38. ſect. IV. cap. 4. ſuadet, ſi pulvis laterum, vel tartarus  
calcinatus admisceatur antimonio, cujus rationes hæc eſ-



se videntur, ut arena s. pulvis laterum ad instar totidem candentium prunarum sit, ut & sublimationem promoveat partim, partim cum antimonium igne facile liquecat, ne dicam fluat, ut ejus fluxum impediat. Sublimatur itaq; antimonium & sublimata pars floris nomen obtinet, qui ratione variorum colorum aut pro variâ radiorum solariû modificatione, vel albi, vel citrini, vel rubri vocantur. Diverforum horum colorum flores absolvit unius labor, dum albos sequuntur alii, testibus omnibus per ignem philosophis.

#### Thesis IX.

Antimonium facile liquefieri dixi, cujus rei veritatem inter alia præparatio vitri antimonii tuetur, felicius tamen succedet labor, si & nitrum & tartarum pulverisatum antimonii æquali parti addideris, promptè in amplo satis crucibulo instar aquæ fluet & cono fusorio injectum, minimâ percussione mercuriales à sulphureis & salinis particulis maximam partem separatæ sub formâ reguli apparebunt. Communis hæc est præparatio, nec facile quæquam felici frustratur successu; aliis tamen aliæ placent compositiones. LEMERY curs. chymic. pag. 256. antimonii maximam, tartari paulo minorem & nitri minimam partem s. vadet, sensimq; ne detonatione majori crucibulo vis inferatur, aut penitus ex eo effundatur, in crucibulum cochleari conjici docet. LEMORT regulum hunc, vel cum tartari & Antimonii æquali & salis petrae tertia parte vel sine tartaro cum cinerum clavellatorum, vel alterius Alkali, ratione antimonii tertia, & nitri sexta parte ultimum sensim injicendo parari posse tradit; Marggravius verò cum tartari & Antimonii parte æquali, adjecto partitis vicibus nitri pulverisati pauxillo, ignis vi parat regulum. vid. Collect. chym. Leidens. pag. 55. seqq. Cum alkali paratur hic  
regulus



regulus, hinc vel tartarus vel nitrum, vel cineres clavel-  
lati, vel aliud alkali additur antimonio, unanimi chymi-  
corum scopo, ut metallicæ particulæ, cum in sulphura  
agant alkalia, à sulphure liberè factæ fundum petant,  
sicq; repræsentent id, quod regulum vocamus. Dum-  
modo itaqve à sulphure separetur mercurius, non quo-  
modo interest, hinc quibus alkali ex tartaro & nitro  
pretiosum videtur, utuntur carbonibus. Hujus rei verita-  
tem Zwelfferus mantiss. spagyr. part 2. cap. 8 p. 365. demon-  
strat. *Recipiatur, inquit, Hungarici antimonii particulatim  
saltem contusi libra una, quæ crucibulo immissa supra pulvere  
carbonum, ad quatuor, vel quinque digitorum crassitiem te-  
gatur & igni fusorio forti ad dimidiam horam vel ultra tra-  
datur; postea remota ab igne frigescent omnia & fracto cruci-  
bulo, in medio scoriarum Regulus comparebit.* eò usque Zwel-  
fferus. Alii carbonibus adhuc adjiciunt nitrum, ut sul-  
phuris à mercurio omnimoda fiat separatio; rationem  
in hoc latere puto, ut sulphuris deflagratio promo-  
veatur partim carbonibus, partim, ut, cum in alkali  
denique abeant, in sulphur agant carbones, sicque mer-  
curium sulphure compedibus quasi ligatum liberent.  
Hinc fieri ratus, quod in calcinatione antimonium dia-  
phoreticum omni studio, ne incidant carbones, præ-  
muniatur, cum *ερχέται* quædam constet, ex Antimonio dia-  
phoretico parari pariter posse regulum, id quod aliquâ  
ex parte ex detonatione hujus diaphoretici constat, dum  
in carbone, post nitri cum antimonio incendium, statim  
regulinæ conspiciantur particulæ. Stellatus paratus est  
regulus, sed nihil peculiare inde obtinet, licet Basilio  
stella sophorum dicatur; & quo pluribus striis antimoni-  
um splendet, eo elegantior, quippe striæ istæ à sulphu-



re separatæ situs distinctos obtinent, & quò pluribus striis splendet antimonium, eò elegantiorẽ repræsentat stel- lam regulus, ut rectè monet additis rationibus Barnerus Philosoph. chymic. p. 437.

#### Thef. X.

Regulus Antimonii paratus relinquit scorias, quas, cum à Regulo oriantur, Chymici regulinas vocant, & denotant recrementa i. sordes, quæ à regulo segregatæ sunt; non rejiciuntur istæ scoriæ s. dixeris eas lordes s. recrementum Reguli, ex sulphure enim Antimonii crassiore, & particulis salinis conflatæ sunt, & præter id, quod adhuc ex iis regulus pariter separari possit, teste Zwelffer. Mantiss. spagyr. cap. 8. part. II. p. 365. sulphur auratum suppeditant, dum illud accedente acido ab Alkali- cis liberatum præcipitatur; labor promptè succedet, si scoriis aquâ purâ solitis, affuderis æetum destillatum, pulvis statim colore aurantium præcipitabitur, qui chymicis est dictum sulphur auratum Antimonii.

#### Thesis XI.

Regulus hætenus cum tartaro & nitro paratus metallū refert, cujus splendor, si loco tartari sal commune decrepi- tatū antimonii & nitri æquali parti addatur, obfuscatur, ru- ber obtinetur regulus, & metallicæ particulae inconspi- cuæ sunt. vid: Margrav. in coll: chym. Lect. pag. 63. si alkalia hic deficere sufficientia dixerim, quibus sen- sibilis, ut aliàs in regulo parando fit, sulphuris & mercu- rialium particularū separatio promovetur, me non erra- re putem, hinc fieri etiam ratus, quod æqualis nitri & an- timonii partis detonatione totum compositum appareat sulphureum & ratione coloris croci Chymicis crocus Metallorum dicatur. Si mixtura illa ignis vi in fluorem redigatur, effusa massam rubicundam, quem Hepar alii, alii crocum antimonii vocant, offert.

Thefis



## Thefis XII.

His præparatis non contenti Chymici artis Hermeticæ excellentiam partim, partim industriam indicando, alia adhuc parant. Ex butyro antimonii cum aqua fontana pulverem album præcipitant, quem LEMERY pulverem Algaroth s. Emeticum dicit curs. chymic. pag. 298. plures tamen mercurium vitæ vocant. Compositum alii amantes, ex antimonii vitro cum musto s. vino recenti digestionem & factâ evaporatione sapam vomitoriam parant; à quibus illi haud differre videntur, qui cum tartaro & Croco metallorum in aqua pulverem album parant, quem nomine Tartari Emetici insignire solent, ut solubulis hic totus fiat ex Chrystallis tartari cum vitro antimonii addito spiritu urinæ, coctione aquæ eum parat LEMERY curs. chymic. pag. 344. Alii cum sale Absinthii tartarum emeticum absinthiacum parare, alii vitrum cum aceto destillato, vel spiritu sulphuris corrigere sudent. Mercurium vitæ cum sale communi tritum, aut aceto destillato imprægnatum alii, alii flores antimonii cum sale similiter tritos asservant, aliis antimonium crudum, aceto propriorubificare placet. Ab aliis per nitrū in aquâ calida è butyro antimonii præcipitatus pulvis, aut negotiosius adhuc ex electricis quibusdam mixturis instar solitarii antimonii, cum sublimato, ad modum mercurii vitæ asservatur. Ab aliis electuaria antimonialia, vel pillulæ, & trochisci, diamargariti vomitorii parantur. Mercurium vitæ in confectiones anisatas alii redigunt, alii antimoniatos emeticos pulveres vegetabilium purgantibus addunt, prout prolixè tales mixturæ legi possunt in dissert. prim. pharmac. Ludovici, de purgantibus. pag. 167. Alii delectantur liquidis, quæ evaporationibus, abstractionibus, infusionibus, & saccharo pa-



rantur, hinc aliis syrupus emeticus placet, qui ex infusione cum vino vitri antimonii addito saccharo in formam syrupi redactus in officinis prostat. Oxysaccharum ex croco metallorum aceti communis per triduum infusione, addita æquali sacchari parte parat Ludovicus pharm. dissert. pag. 169. Rulandus aquam benedictam, alii cum spiritu vini Hippocraticum Emeticum conficiunt, vino alii vel regulum vel ex eo paratos annulos nummosve infundunt, aut vinum calici ita incrustato calori exponunt. Alii essentiam è floribus cum acido tartari aut tincturam amant; & quæ aliæ ab autoribus chymicis traduntur compositiones, quæ passim apud Ludovicum pag. 166. & seqq. passim quoque apud alios legi possunt.

### Thesis XIII.

Quam variæ recensitorum præparationes etiam fuerint, ad unum tamen omnes eo intenti sunt Chymici, ut dum assumuntur vellicatione convulsivum ventriculi producant motum, quo id sequatur, quod vomitum vocamus, nisi hoc dixeris adesse discrimen, quod alii sulphureas particulas melius exsolvere studeant. Quicquid sit, hæc præparata, qualia qualia fuerint, virtutis sunt emeticæ; sed quâ ratione agant producantque vomitum, id adhuc incertum, aut ad minimum disputatur. Diversas in antimonio particulas negare non possum, sed an sulphuri an mercurialibus particulis tribuenda hæc virtus, de hoc adhuc sub iudice lis est. Mei ingenii, quâ alii libertate usus, non facile mercurio sed sulphuri id tribuo, non quod de subtilitate mercurii antimonii (cujus variæ apud chymicos recensentur præparationes) dubitem, sed quod subtilitatem solam hic minimè sufficere persuasus; nec facile me errare putem, obstantibus licet è mercurio para-



paratis medicamentis emeticis. Mercurius in aquâ forti solutus & sale cōmuni præcipitatus ad grana 2. vel 3. emeticus quidem est, quo effectū nec is facillē frustrabitur, cui mercurium viridem assumere placet, & mercurium vitæ ex antimonii cum mercurio recedaneâ destillatione aquæ paratum vomitorium potentissimum esse quotidianum jam est; quos effectus non à mercurio tamen, sed à salibus associatis oriri persuasus. Nec obstat, quod salia ex iis elutriantur, remanet quippe adhuc eorum sufficiens copia, quæ fibræ venticuli molestè vellicatæ convelli queant. Solutionem salium in aquis imprimis calidis fieri chymicorum est axioma, quæ solutionem nec hic deficere antumo, si mercurialia ista aquis tractata fuerint, quippe mercurium vitæ, si aqua calidâ salia ejus soluta prius fuerint, mitius operari senties, qui vomitus non deficeret, si mercurius vi emetica valeat. Sulphuri itaque id tribuo, quatenus oleosæ volatiles & acres particulæ insunt, quippe ex sulphure prodeunt partim, partim ex acido & oleo oritur sulphur, quod Boyleus in chymista sceptic. pag. 76. testatur; ut taceam axioma chymicum; sulphuri inest acidum & oleosum. Nec ignis flammam obstare putem, quod ejus ope sulphur abire possit, copiosum enim antimonio inest, ut, licet magna ejus pars abeat in auras, sufficiens tamen metallicis particulis immixtum sit; Hinc placent illa, quæ excellentissimus Pechlinus libr. de purgant. medic. facult. pag. 268. eleganter notat *intimè metallis, inquit, sua inhaerent, Sulphura, lambentisque flammæ eludunt impetum, illud tamen sulphur adeo ignium patiens, ad liquoris vinosi accessum obsequenter se emittit, inque sapam, aut melleam offam cogitur inflammabile.* Nec obstat, quod ad sulphuris volatilis fixationem addantur salia, quippe & cum nitri æquali parte antimonium de-

tona.



tonatum, vomitorium crocum suppeditat, & licet nitri triplâ parte, facta infimul detonatione diaphoreticum fiat antimonii sulphur, aeri tamen expositum, aut ad minimum ab aere non bene munitum, vim emeticam reassumit; rationem hujus ut probabilem ab excellentissimo Bechlinio mutuamur, quod nempe acidum nitri non tam pertinaci corporis illius amplexu teneatur, quin tandem temporis lapsu adjuvante, motum aut fermentationem, aere humidiores se explicet, vid. Bechlinus de purgant. facult. pag. 269. atque facilius ea emetica vis in eo observatur, si diaphoreticum in forma pulveris, quam fructulatum asservatum fuerit, quippe priori modo aer melius sese insinuare potest; ad mutationem hanc attendere suspicor Medicos, quippe antimonium dum diaphoreticum præscribere assolent ægris, semper diaphoreticum recens præscribunt, eâ cura intenti, ne ægris vomitus ab eo accidat, quales sæpius aliàs ab eo observati fuere. Cum nitro & tartaro parari regulum certum est, parari autem non potest, quin accedente violentâ ignis lambentis flammâ agitetur antimonium, & sulphuris & mercurialium particularum sequatur separatio; regulus hic, qui antea sub sulphure copioso inconspicuus latebat, jam sulphure omni quasi exutus apparet, & splendorem hinc metallicum de se spargit, sed sulphure nondum omni orbatus est, quin potius refertus adeo etiam subtili, ut etiam si vel multoties eo usus fueris vel in fusione vini acidi, vel aliis metallis adjectus instar poculi, vinum acidum contineat, quod assumptum vomitus enormes, nisi accurata observetur dosis, producit, aut si eodem successu paratum ex eo globulum perpetuum assumpseris, æquali successu sine ponderis tamen dispendio regulum hunc operatum esse senties, id quod etiam



etiam omnes per ignem Philosophi testantur. Volatilitati  
& subtilitati sulphuris ejus hoc tribuo, quam antimonii  
sulphuri denegare non possum, cum partim ejus calcina-  
tio, vel quod melius, in flores sublimatio satis demon-  
stret, partim operatio reguli confirmet, hinc corpo-  
rum subtilium more operabitur, quæ pro subtilitate  
integrum habitaculum inficere possunt, ut omnes, qui  
in hoc morantur, ea percipiant; sic halitibus pomo-  
rum mandragoræ, quæ in musæo suo posuerat Levi-  
nus Lemnius se adeò somnolentum fuisse redditum, ut  
vix excutere soporem posset, remotis verò pomis ala-  
critatem pristinam recuperasse testatur citat. autor in  
explicat. herbar. biblicar. Cap. 2. Ambram, moschum  
Zibetum, quemadmodum totius substantiæ suæ cohæ-  
sione suffumigare possunt pelles, lintheamina, &c. sic  
progressu temporis suffire corpora quædam, ad recipi-  
endam actionem eorum disposita, licet ab aliis distent,  
testatur Boyleus de nat. determ. effluviis. Cap. V. pag. 39.  
& idem affirmat, unicam guttam essentialis olei cina-  
momi, ope sacchari, vino ut par est commixtam, deter-  
minatum cinamomi saporem retinuisse, etiamsi in vi-  
ni fere quartarium s. duas libras diffusa esset, vid. cit.  
Boyleus, cit. loc. pag. 35. Ut alia taceam; res etiam  
clara est ex camphora, penetrantem illa de se per to-  
tum habitaculum, in quo continetur, spirabit odorem.  
Pari subtilitate operari dico regulum, quocunque etiam  
modo trahatur in usum. Sed nec regulo tantum subti-  
le hoc inesse sulphur volo, verum & omnibus aliis eme-  
ticis antimonialibus hoc tribuo, eodem quippe scatu-  
riunt fonte, nec nisi præparandi varietate differunt,  
hinc etiam factum esse puto, quod puero trienni per-  
tinaci herpete miliari in crure affecto decoctum Croci  
C metal.



metallorum externè admotum aliquoties moverit vomitum, ut videre est in Ephemerid. Germ. natur. Cur. Dec. 2, Ann. 1. p. 120. Subtilitati particularum tribuo etiam hoc, quod subtilia ut plurimum sine ponderis sui dispendio odores spirent, hinc Camphora si libretur nihil sui ponderis quicquam perdidisse senties; si hanc rationem attribuam regulo, cum sine ponderis dispendio operari eum dixerim, non facile errabo, quippe quæ de regulo dixi, ea de vitio affirmat Boyleus meæque suffragatur opinioni: *Ut possibile esse crederem, inquit, posse scilicet vitrum antimoniale copiam balituum vino Emetico impertiri nec tamen videri, in bilance vulgari sui quicquam deperdidisse.* vid. cit. autor. de nat. determ. effluviis. cap. IV. p. 38. Particulas tamen subtiles licet insensibiliter avolent, vel vino affuso communicentur, avolasse tamen tandem senties, si regulum antea fortiolem jam debiliolem viribus observaveris; resuscitabitur autem, si denuo ignis lambentis flammâ sulphur subtilius metallicis particulis impactum excitetur.

#### Thef. XIV.

Violentissima partim mitior igne chymico producta antimonii emetica vis eò adegit chymicos, ut jam in crudiora s. vehementissima, jam in correctiora s. mitiora emetica dividere soleant. Priori distinctionis generi annumerant vitrum antimonii, eam ob summam violentiam & periculum non minimum exhibere omnibus fere Medicis religio esse solet, Copiosum satis sulphur per ignis lambentis vim in auras abiisse quidem certum est, sufficiens tamen, idq; non satis ligatum adhuc restare experientiâ est, hinc à nonnullis vitrum corrigi & à granis duobus ad grana sex sic correctum, ut ajunt, in usum vocari solet. Violentum emeticum, nec injuste dici mere-



merebitur, globulus emeticus perpetuus dictus, qui ex  
regulo paratus deglutitur; Ermüllero enim in pyrotechn.  
rational. dubius sæpiusque vehementissimus inde effe-  
ctus videtur. Quid sit, cum pericula subire non-  
dum svadeat necessitas, & eo ex fonte nec hepar anti-  
monii, nec crocus metallorum ( nisi minima dosi ) in sub-  
stantia exhiberi usitatum sit, mitiora eligi solent, quæ  
accedente alio medio mitius operantur. Acida hoc me-  
dium sunt, quæ respectu Spiritus nitri volatilia, ( cum  
propriè & in sensu vero chymico non nisi intuitu gravi-  
tatis volatilia dicantur ) verius levia sulphur certâ  
ratione ligare possunt, quancquam & spiritus vitrioli vim  
emeticam penitus subigere & in diaphoreticum redige-  
re quandoque haud valuerit, prout Ludovicus Pharma-  
ceut dissert: 1. pag. 262. notat. Levius acidum requiritur, id-  
que in primis ex vegetabili regno petitur, acetum volo,  
quod maxime usitatum felici successu ad compescendam  
antimonii emeticam vim in usum vocari solet. Cro-  
cum metallorum aut planè non, aut magnâ prudentiâ  
in substantiâ exhiberi dixi, quod si verò cum aceto sul-  
phur ligetur, postea acetum illud saccharo jungatur, Oxy-  
saccharum fit, tutissimum infantibus etiam emeticum,  
teste Ludovico dissert. Pharm. 1. pag. 169. nec vitrum in  
substantiâ exhiberi solet, cum musto autem seu vino re-  
centi extractum ejus sulphur digestionem, postea evapo-  
ratione ex hoc parata sapa vomitoria sine periculo pro-  
pinari potest; acidum ratione observatur hic effectus, quod  
musto materialiter inest, & digestionem magis exsolvitur.  
Vinum vitro antimonii affusum & cum saccharo in con-  
sistentiam syrupi redactum, tutissimum est emeticum.  
Cum vitrum nitro corrigi debet, vid. Collect. Chymic.  
Leid: p. 53. non nisi acidum ratione id expeditur. Optimum  
C 2 & usi-



& usitatum vomitorium ratione acidi sui, quo sulphur antimonii ligatur, tartarus emeticus est. Sulphur auratum è scoriis reguli antimonii, dum aquâ prius solutâ acido parari solet. Hæc præparata acido correctâ propinantur iis, qui ea, quæ in ventriculo continentur molesta, vomitu rejicere conantur.

Theſ. XV.

Acido cum corrigantur emetica, quæ in substantiâ non exhibentur, hinc vino acido infunduntur & sunt vel vitrum vel hepar antimonii, adde crocum metallorum & antimonii regulum. Varia sunt, quæ infunduntur & varius infusionis solet esse modus, alii solum vitrum vino infundunt, inter quos est LEMERY curs. chymic. pag. 271. Alii alium infusionis ivadent modum; Rulandus ex ligno juniperino, cujus interior superficies pice & pulvere vitri antimonii obducta calicem parat, hinc omnia ea, quæ ex hac calice bibuntur, vomitum cient, calix Rulandi vocari solet, vid. Etmüller. Pyrotechn. rational. libr. 1. sect. 3. pag. 56. Aliis Crocus placet, hinc Croco vinum per noctem, aut ad minimum per horas sex in calore infundunt. Vinum regulo antimonii affusum, si per noctem in calore digestivo steterit, postea effusum & propinatum felici successu è ventriculo ejicit id, quod in ipso continetur. Alii ex metallo aliquo additis regulinis particulis annulum vomitorium parant, qui vino per tempus sufficiens injectus desideratum dat emeticum. vid. cit. Etmüller. cit. loc. & pag. Alii poculum ex iis parari curant, è quo si vinum, cui per noctem infusum steterit, bibatur, vomitorium assumitur. Diversi hi & alii infusionis modi licet, ad unum tamen scopum collimant, ut ad infusa assumpta sequatur vomitus. Scopus iste non mutatur, licet vitrum, aut crocus seu cum vino, seu cum aceto, seu cum aliis



aliis acidis infundantur; atqve ex iis infusis cum vino & saccharo syrupus emeticus paretur, aut sine saccharo in lapam vomitoriam abeat, qvalem etiam Sylvius ex vino vitro antimonii infuso parat vid. libr. 2. de Meth. med. p. 104. ut cum aceto infusa, addito saccharo, Oxysacchrum vel addito melle Oxymel emeticum constiuunt. Diverfus in qvam licet modus, scopum tamen ille non variat, variat tamen dosin, qvippe alia liqvidorum emeticorum, solidorum alia observari debet dosis.

#### Thesi XVI.

Ad liqvidorum dosin properamus, qvam in liqvoris, non verò in pulveris emetici, aut reguli antimonii quantitate invenies. Ordinario vitri vel croci metallorum granis octo vini uncia duæ infundi solent, sed perinde est, an in eâ copiâ an verò majori, (etiam si drachma una unciis duabus infundatur) vino infuderis; eundem tamen, nec fortiozem, nec debiliozem cæteris paribus observabis effectum, adeò, ut à quantitate emetici vino injecti non plus nec minus vomat æger. Infusione calidâ stant per horas sex vel sæpius per noctem; menstruum, qvo infunduntur, activum est, hinc in id, cui affusum, pro particularum activitate aget & agendo id, qvod solvit, in poros suos recipiet; omnia enim corpora porosa sunt, qvod & Hippocrates sua ætate testatus, nec solidis hinc nec fluidis corporibus pori defunt, *ut satis superque à Domino Præside in Colleg. Publico de Venenis nuperrimè id demonstratum est.* Cum aurû alias, nisi porosum fuerit, à mercurio vivo intactum relinqueretur; mercurius vivus, si lignum tanqvã corio expressum effluat, porositate hujus solidi, satis docet. Ab aurifabris crucibula Hassiana compactiora censentur, absqve ulla ta-



men fractione non nisi per poros' argentum|istar' guttularum transsudatione quasi confluentium in superficie facile conspicitur prout hæc & varia in tentamine Porologico Boylei p. 25. & seqq. videri possunt. Nec fluidis corporibus pori negantur, aliàs aqua fortis mercurium & alia metalla, & aqua Regis aurum difficillimè solvere possent. Verum hinc Hippocratis effatum omnia corpora quæ solida, quæ fluida, porosa esse. Poris itaque cum tribuendum, quod vinum in vitrum, regulum antimonii aut Crocum metallorum agat; jam ratio ex parte constat, quod vinum iis infusum vomitum cieat; Id tamen adhuc probandum incumbet, qui fiat, quod etsi aut plus aut minus Emetici injiciatur vino, æqualis tamen vomitionis effectus observetur, dummodo liquoris quantitas determinata attendatur. Poris tribui prius phænomeni membrum, & posterius poris tribuo, sed determinatis; corpora enim, præter id quod poros habent, eos etiam habent determinatos, determinatos dico, non quod pororum diversitatem hisce intelligam, quæ magna in corporibus est, sed per poros determinatos id volo, quod certam recipiant alterius rei quantitatem, quæ tunc referti, reliquæ particulæ intactæ relinquantur. Chymia prolixè id docet, & solutionibus & extractionibus chymicis in aprico est, singula corpora agere pro modo receptivitatis suæ, & menstrua tantum solvere, quantum soluti continere valent; Paucis hinc me expedire posse persuasus, si axiomaticè alias philosophico, à chymicis tamen pariter recepto utar:

*Actio agentis est determinata ad actionem patientis.*

**Thesis XVII.**

**In liquoris quantitate cum consistat infusi emetici  
dosis**



dosis sufficiens, & secundum libram medicam experientia teste uncia! duæ desideratum ordinariò suppeditent vomitionis effectum, ea à Medicis observari solet lex, ut dictum liqvoris pondus, emetico antimoniali infusi, desiderantibus propinetur. Alii, qvi cauti magis videri volunt, ad ægrum simul attendentes, dimidiam prius, & dein cum effectus non promptè succedat, alteram partem porrigere solent. Non contemnenda eorum est methodus, cum cautè vomitoriis mercari ipsa ratio, ipsa experientia svadeant; scopus omnium tamen eò collimat, ut vel dimidiâ ordinariæ partis, vel tota ejus parte vomitus producat, prout facile vel minus ventriculi fibræ convelli possunt. Aliis, qvibus vinum emeticum propinare non placet, in usum venire solet cum saccharo paratus ex eo Syrupus emeticus, qvi ut infantibus ad drachmam unam vomitum ciet, ita ad unciam semis ad minimum adultioribus, aliis aqvis pro diluendi scopo adjectis vomitorius existit. Acido eoqve vel vino, vel aceto infundi debere antimonialia emetica dixi, hinc alii, qvibus vinum non arridet, eligunt acetum, idqve etiam commune, & cum saccharo parant Oxysaccharum emeticum, quale quid Ludovicus differt. pharmac. i. de purgant. mineralib. pag. 168. parat, qvòd trimestri infanti ad grana duo præter propter, anniculo ad grana septem, & octo &c. adultis ad drachmas duas, tres, vel unciam semis tutò propinari posse svadet. Alii cum musto seu vino recenti per infusionem in vitrum vel regulum antimonii & præcedaneâ filtratione, per evaporationem, sapam antimonii vomitivam parant, qvòd ad drachmas duas imò ad drachmas tres desiderantibus porrigere solent. vid. Collect. Chymic. Leidens. pag. 59. Franciscus de Le Boe Sylvius sapam vomitoriam suam ad piperis vel pisi mediocris  
quan



quantitatem ægris propinat effectu laudabili vid. ejus  
methodus medendi Lib. 2. Cap. 10. §. 41. pag. 104. ex  
his antimonialibus infusione & evaporatione cum pru-  
norum, pyrorum, pomorum, cydoniorum ac similibum  
succo parari possunt mivæ, syrupi, rob & aliorum no-  
minum medicamenta teste eodem cit. autor. cit. loco.  
Sed ut præparandi modus, ita & exhibendi dosis variat,  
minori quippe dosi danda sunt inspissata, quàm liquida e-  
metica; incertæ tamen & infidæ sæpius enascuntur do-  
ses & effectus, cum evaporationes inæquales, abstracti-  
ones incertæ, menstrui aut sacchari dubium pondus circa  
illa præparata observari soleant, prout rectè monet Ludo-  
vicus differt. Pharmac. 1. pag. 168. Alii nec infusa liqui-  
da nec inspissata amant, hinc solida in formâ pulveris  
exhibere solent; inter illa usitatissimus existit tartarus  
emeticus, cujus dosis ad grana tria esse solet, per se ex-  
hiberi potest & sine additione eâ dosi operatur, cui ta-  
men, ut gratus concilietur sapor, quandoque saccharum  
additur; alii ut felicior effectus sequatur, sal armoniacum  
addunt, ad scrupulum semis, alii tartari emetici granis  
duobus admiscunt croci metallorum granum unum &  
cinnabaris antimonii grana tria, eundem, quem dixi  
indicando scopum, vid. Frid. Hoffmann: de Cinnab. an-  
timon; pag. 45. Sed ordinariam ejus dosin dixi grana tria,  
quæ juveni viginti duos annos nato non nihil hypochon-  
driaco vomitum movent, vid. Ephemerid. Germ. nat. Cur.  
Observat. 67. dec. 2. A. 3. p. 157. Quandoq; autem major, sed  
sine effectu propinatur ejus dosis, hinc juveni jam dicto  
ad grana quatuor non nisi turbulentus duntaxat in ven-  
triculo factus motus, nullo insequente vomitu, prout  
videre est cit. locus Ephemerid. Germ. Id quod etiam af-  
firmat Etmüller, præscript. formul. Cap. 1. §. 10. pag. 118.  
qvi



qui alios, inquit, fortiter exagitat tartarus emeticus  
Mynsichti, in grana tria hypochondriaco - melancholi-  
cos, vix tantillum etiam sub tripla movet dosi. Phæno-  
meni hujus unanimis medicorum hæc eaqve vera est  
ratio, quod acidum in melancholiâ hypochondriacâ fi-  
xius volatilem salino-sulphuream acrimoniam infringat,  
& figat, ea prorsus ratione, ut à spiritu vitrioli vel spi-  
ritu nitri emetica in diaphoretica degenerare cogantur.  
Ex his patet, quod in quovis remedio, atqve sic pariter  
in emeticis toties variet dosi, quoties individuum vel  
numero diversum, vel numero idem diversimodè alte-  
ratum occurrit, rectè momente Etmüller. præscript. for-  
mul. Cap. 1. §. 10. pag. 118. Hinc minus temerè tartari  
emetici augenda est dosi, cum facilè præter excessivos  
vomitus, lancinationes, ventris & intestinorum intolera-  
biles dolores, artuumqve externorum convulsiones ex-  
citari possunt, & non rarò si non morti tales occumbant,  
morti tamen vicini redduntur, quare quid ab usu tartari  
emetici ad grana octo factum, prout legi potest in Ephe-  
merid. Germ. nat. Cur. Dec. 2. Anni sexti observat. 139. p.  
289. Tartaro emetico ab aliis mercurius vitæ ad grana  
duo vel tria substituitur, nec isti effectui desiderato facilè  
frustrantur, qui eum assumunt, cum sæpius major quam  
par est, exinde sequatur effectus. Vitrum antimonii, ut  
in superioribus dixi, non facilè in substantiâ in usum vo-  
catur, violentia obstat, quod & LEMERY curs. chymic.  
pag. 271. testatur. Eò etiam numerandus est crocus  
metallorum, qui non nisi, cum fortiter vomitus provo-  
cari debeat, usurpandus ad grana duo, teste eodem.  
Usurpari autem posse vitrum in substantia à grano uno,  
vel duobus, ad plura, pro ægri ætate, robore, affectu,  
vitæ genere aut consuetudine, tradit Franciscus de Le



BoeSylvius methodo medendi. lib. 2. §. 39. pag. 104. Sed nitro correctum intelliget fortè, quanquam tutius infundi, cit. loco. cit. Autor optimè moneat. Rosam mineralem dictam à grano uno, ad grana sex & plura pro excitando vomitu svadet LE MORT in Collect. Chymic. Leidenf p. 72. Et sulphur antimonii auratum à granis duobus ad grana sex propinatur, svadente LEMERY curs. chymic. pag. 262. Deniqve flores antimonii, iiq; varii coloris emetici quidem sunt, sed rarius in usum vocantur, cum mitiora prostant, quibus Medicus uti potest; dosis tamen ut pateat, à granis duobus ad grana sex præscribi solent, teste inter alios LEMERY curs. chymic. pag. 291. Et quæ aliæ innumeræ prostant præparationes, quæ à Crollio, ab Etmüllero, ab Hartmanno, Lefebure, Ludovico, aliisque ad nauseam ferè tradi soleant.

### Thesis XVIII.

Liquida emetica post infusionem per se assumuntur, nisi quandoq; pro varia medici intentione alia addi soleant; solida verò vel in forma pulveris, vel in pilulari formâ propinantur; uterqve modus indiget vehiculo, non tam deglutitionis promovendæ ratione, quam in ventriculo pro ejus dissolutione, jusculum hoc solet esse, quale quale etiam fuerit, modo non lac, nec oleosum nimis fuerit, cum aliàs fatiscat vomitorium; & quibus bolus emeticus placet, pariter indigebunt dictis ex rationibus vehiculo. Assumpta hac ratione vomitoria, sæpius involvuntur ob materiæ latitantis copiam, ut actione, quàm activa & vivida etiam, non nisi aliqualis ad vomendum propensio, quam nauseam vocamus, produci possit, quam reddunt majorem, si post horam magna aquæ vel cerevisiæ tepidæ copia assumatur, ut majori sub  
orta



ortâ nausêâ spiritus copiosius influant in nervos ventriculi, sicqve succuratur emetico, qvoad convulsionem excitandam aptius redditur ut ortâ ventriculi convulsione ejiciatur id, qvoad ipsi molestum erat.

#### Thesis XIX.

Alii ab assumpto emetico antimoniali non nausêam prius, sed concomitantem insimul vomitum patiuntur, aut â defectu materiæ, aut â tenera ventriculi fibrillarum textura, cum experientiâ edoctus, alios aliis longe delicatiores, adeò, ut sæpius semel convulsæ ventriculi fibræ à levisimo humorum motu, aut spirituum animalium influxu promptè convellantur, ut qvovcqvod etiam assumptum, statim rejiciatur vomitu, remanente sæpius irritato vomendi conatu. Idem ferè factum experiuntur illi, qvi nimium infusi theæ bibunt, illorum ventriculi fibræ ab aquæ copiâ tam languidæ & flacidæ redduntur, ut â levissimâ causâ facilè convellantur, sicqve sæpius sine omni molestiâ vomitus iis fiant, prout experientia satis superqve id edocuit. Non autem teneræ texturæ solum id tribuendum, sed sæpius ipsis emeticis, si dosi nimia vel paulo majori peccavecint, quæ propter vehementem vellicandi vim solidas maximè ventriculi fibras convellere, sicqve vomitum ciere possunt, quod citata observatio Ephemerid. Germ. nat. Cur. Dec. 2. Ann. VI. pag. 289. satis demonstrat, & quotidie à temerariis demonstrari solet. Edocti hac ratione sumus, quod omne nimium naturæ inimicum, & isti vomitus nimii, ne vomitu pereat æger, compescendi sint, ad quod obtinendum lenientia partim svadentur, partim anodyna. Lenientia mitiora præcedere solent anodynis fortioribus; è multis ut unum afferam, lac tepidum



cum pane albo coctum & assumptum involvendo emetici acrimoniam, vomitum sistit, teste etiam Sylvio, Prax. Medic. libr. i. pag. 192. Alii vinum Hispanicum, aquam Cinamomi alii propinant, ut partim infringatur acrimonia, partim etiam restituatur ventriculi tonus. Si lenia non suffecerint, ad anodyna v. g. theriacam, mithridatum, laudanum opiatum, Diascordium Sylvii vel Fracastorii, tincturam opii, aliaque accedendum, ut partim acrimonia obtundatur narcoticis, partim nervi iis stupefiant, ut vellicatione deficiente, & spirituum animalium influxus deficiat, sicque nullâ amplius factâ ventriculi convulsione vomitus desinere cogatur.

#### Thesis XX.

Ex his recensitis edocemur cum vomitoriis cautè esse mercandum, ratione dosis, ratione etiam personæ scilicet ægri, cui id exhiberi debet; promiscuè enim omni ætati, omni sexui indifferenter danda non esse, firmissimè persuasus, hinc attendendum puto, an ætas ferat, an ægri debilitas obstet, si nec ætas tenella nec ægri debilitas obstet, nec difficulter vomat concedendum facile, sin postè obtinuerit, minus propinandum est; attendendum etiam est, an unquam æger vomitu aut tussi ejecerit sanguinem, si illud ex utroque observatum, aut ad minimum ad phthisin inclinet, justo ex metu, ne concussione ventriculi & partium vicinarum violentâ vel hæmoptoe seu sputum sanguinis, vel vomitus sanguinis fiat, isti vomitorium denegatur; hinc nec prægnantibus vomitoria propinanda, ne dicta jam ratione abortus causam suppeditemus. Iis autem, qui robusti, qui amplum habent thoracem, facileque vomunt, unanimi Medicorum excellentissimorum consensu vomitorium tuto propinari potest.

Thesis



## Thesis XXI.

His pensitatis vomitoria antimonialia in usum medicum præscriptis modis vocantur, eaq; magnum afferunt sæpius solatium, ut communissimum inter homines minoris conditionis sit auxilium antefebre, adeo, ut, si levissimam in ventriculo percipiant molestiam, in assumendis vomitoriis præcipites sæpius observentur. Non jam inquiram, quâ utilitate sæpius illa assumantur, cum institutum id non ferat, sed hic hæc volo, quod vomitoria usitatissimum etiam inter Plebejos medicamentum sint. Interim tamen optimum manet, si providâ prudentis medici manu exhibeantur. Willisus libr. de Morb. Cap. 12. pag. 293. vomitoria ex antimonio in mania commendat, & tartaro emetico mania curata, prout videre est in Ephem. Germ. nat. Cur. Dec. 2. Ann. 4. observat. 16. pag. 327. eandemq; eodem medicamento curatam legimus in Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. VI. observat. 92. pag. 184. Dysenteria tartaro emetico vomitu curata legitur in Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 2. observat. 168. pag. 380. Febres iis curari posse, partim experientia testatur, partim citatus sæpius Willisus, tract. de Febribus pag. 87. confirmat; In febribus insanis, optimo cum successu vomitoria propinasse docet Dolæus in Encyclopæd. libr. IV. de febribus symptomaticis pag. 207. In febribus cardiacis eadem commendat idem citatus autor Encyclopæd. de febr. symptomat. libr. IV. pag. 202, qualia idem cit. libr. pag. 205. in febre asthmatica conducere refert. Sydenham vomitorium suadet in febre continuâ, imprimis vomendi si præcesserit propensio, imo diarrhœam eo fisti docet, vid. observat. medic. sect. 1. cap. 3. pag. 36. & 38. & sect. 2. pag. 128. Febres intermittentes vanales emetico cessisse testatur idem loc. cit. pag. 93. Lazarus Riverius in principio accessionis in febribus ea



suadet; prax. medic. Libr. XVII. pag. 562. In asthmate  
prax. medic. Libr. VII. pag. 297. & affectibus soporosis  
prax. medic. Libr. I. pag. 202. & seqq. suadet idem. In  
calculo renum vomitorium ex mercurio vitæ concedit  
cit. autor. prax. Libr. XIV. pag. 416. In melancholiâ &  
affectibus quibusq; insanis vomitoria suadet Willis. in  
Pathol. cap. IX. pag. 276. cui assentitur Etmüller, qui vo-  
mitoria antimonialia in delirio melancholico maximè  
commendat, prax. medic. Part. 2. pag. 382. In malo hy-  
pochondriaco & scorbuto cit. loc. pag. 405. In cache-  
xiâ, & suppressione mensium suadet cit. Etmüller. cit.  
loco part. 3. p. m. 6. In anorexiâ omnes fere medici vo-  
mitoria exhibenda tradunt, quibus etiam adstipulatur  
Dolæus, qui etiam in nausæâ & vomitu ea suadet, & tar-  
taro emetico vomitus, inprimis si multum pituitæ vi-  
scidæ & tenacis in ventriculo hæreat, curari debere do-  
cet Encyclopæd. medic. dogmatic. Libr. III. de morbis ab-  
dominis pag. 434. Hartmannus in praxi chymiatr.  
ea in anginâ suadet, cui assentitur Lazarus Riverius obs.  
cent. 2. observat. 24. pag. 10. 588. & 592. qui aquam be-  
nedictam Rulandi ad uncias duas optimo successu in  
usum vocavit. Sydenham, se ægro variolis regulari-  
bus laboranti, & ad incitas redacto emeticum antimo-  
nium feliciter exhibuisse docet, obs. lect. III. pag. 228.  
in catharro suffocativo exhiberi vomitorium testatur  
Etmüller. prax. medic. part. 1. pag. 230. in arthridide Wil-  
lisius vomitoria exhiberi vult, pathol. Libr. XIV. pag. 314.  
in lethargo, inprimis si à crapula fuerit, vel veneno  
suadet vomitoria Dolæus Libr. I. Encyclopæd. medic. pag.  
92. In pervigilio ea pariter docet idem pag. 103. quæ eti-  
am in catalepsi probat cit. autor. pag. 117. In vertigine,  
si ex ventriculo oriatur, vomitoria suadet idem citatus  
autor. loc. cit. pag. 130. In epilepsia, inprimis si fomes  
mali



mali hæreat in primis viis, antimonialia emetica suadet Etmüller. prax. medic. part. 2. pag. 283. In apoplexiâ in primis pituitosâ idem Dolæus ea commendat cit. loco. pag. 172. idem testatur Etmüller. prax. part. 2. pag. 309. quibus suffragatur Lazarus Riverius prax. medic. libr. 1. cap. 2. pag. 203. & Willisius pathol. cap. 8. pag. 224. aliique. Et multis aliis in morbis exhibentur; sed omnes hic recensere, brevitatis studium excederet; hoc saltem adhuc addo, quod licet variis in morbis, ad unum tamen scopum tantum exhibeantur vomitoria hæc, partim, ut ventriculus si forte in eo fomes mali lateat, expurgetur, partim, ut concussione è vicinis ventriculo partibus id quod molestum ejiciatur, cumque à vehementissimo motu & nervorum oscula in cerebro concutiantur, dantur vomitoria, ut ancipiti hoc remedio removeantur ea, quæ nervos obstruebant.

#### Theſis XXII.

Ut vomitoriorum antimonialium usus internus, sic & eorum externus valet; in alvi enim adstrictione, licet pertinacissima sit, sæpiusq; nullis remediis respondere possit, emetica clysteribus injecta, ægrum ab assumendo alias argento vivo sæpius liberant, ut communis hoc testatur experientia. Etmüller. prax. Medic. part. 1. pag. 73. dum clyisma emolliens ad quinque uncias cum infusi croci metallorū unciis tribus vel syrupi emetici unciâ unâ suadet, confirmat, cui & alii autores medici suffragantur; huc etiam vocandi sunt clysteres vellicantes in morbis soporosis qui ex antimonialibus emeticis, optimo successu applicari solent. Ut enim vellicando alvi depositionem promoveant, sic vellicando etiam soporosum vel lethargo, vel caro, vel apoplexiâ excitant, id quod testatur Lazarus Riverius libr. 1. cap. 2. de affectibus soporosis pag. 203. dum  
Cly.



5397 2  
R.  
clysteribus aquam benedictam sæpiusque turbidam pro  
majori vellicatione emollienti decocto admiscet; idem  
etiam in alvo adstricta observant hodiè autores medici.  
Alii pro excitanda vellicatione suppositorium in superfi-  
cie croco metallorum acuatam felici successu præscri-  
bunt, & aliis aliæ placent compositiones.

### Thesis XXIII.

Externis medicamentis annumerantur collyria, & in-  
ter illa, quæ contra ophthalmiam & suffusionem oculorum in  
usum vocantur non infimum obtinent locum vomitoria an-  
timonialia, id quod affirmat Lazarus Riverius, dum aquam cheli-  
doniæ ad uncias quinque croci metallorum drachmæ uni infusam  
contra suffusionem commendat, vid. Prax. Med. L. 2. cap. 5. p. 245.  
idem de aquis ophthalmicis antimonialibus testatur Etmüller.  
prax. part. 2. pag. 371. & part. 2. pag. 133. aquas ophthalmicas ex in-  
fusione vitri antimonii optimas pronuntiat. Ad alios usus ex-  
ternos destinata ab aliis etiam sunt vomitoria, alii iis utuntur  
externè optimo sæpius successu in arthridide, alii ea fonticulis  
imponunt, qui postea sordibus ferè diffluunt vid. Schwal-  
be. disquisit. therapeut. sect. III. & Ephemerid. Germ. Ann. 1.  
Dec. 2. pag. 120. testantur, herpetem miliarem ab admoto  
decocto croco metallorum curatam. Huc etiam referendæ  
sunt scorix reguli antimonii, de quibus Etmüllerus prax. me-  
dic. part. 3. p. 6. refert, quod nempe, siistæ spiritu vini dissol-  
vantur, postea fumus per infundibulum utero excipiat, si  
prius lateri candenti fuerint affusæ, speciatim, contra suppressio-  
nem mensium conferant.

Atque hæc habui, quæ sub umbone & præsidio  
Præsidis nostri ut gravissimi sic carissimi de emeticis antimo-  
nialibus in præsentiarum pro ingenii viribus afferre pla-  
cuit; tuum itaque erit, L. B. ut album modo calculum paral-  
logismis meis apponere (dum vires meliora suppedient) humaniter velis. Summum Numen quoque supplex vene-  
ror, pro concessis viribus, quodque porro Spiritus sancti sui  
gratiâ mihi adesse velit, ut tandem in nominis sui gloriam,  
proximique commodum ac emolumentum studiis

hisce meis academicis felicissimus  
imponatur

**FINIS.**